


Klem
231 (1-34)



22

DE
IE CORE FOETVS
DISSERIT

ET
VIRO MAGNIFICO,
EXCELLENTISSIMO EXPERIENTISSIMO
AMPLISSIMO DOCTISSIMO
IOANNI CHRISTOPHORO
P O H L I O,

PHILOSOPH. ET MEDIC. DOCT. ANAT. ET CHIRVRG.
PROFESS. PVBL. ORD. FACVLTATIS MEDICAES ASSESSORI,
COLLEGII B. M. VIRGIN. SENIORI, ACADEM. IMPER.
N. C. SODALI, PHYSICO PROVINC. LIPS.

PATRONO ET PRAECEPTORI
MAXIMOPERE COLENDO

DE

FASCIBVS ACADEMIAE AD EVM
PRIMVM DELATIS

NOMINE

COLLEGII EXAMINATORIO · DISPVTAOTORII
SVB IPSIVS PRAESIDIO FLORENTIS

GRATVLATVS EST

IOANNES GOTTL OB HAASIVS LIPS.
MED. BACC AL.

LIPSIÆ
EX OFFICINA LANGENHEMIA.
CIDIQCLXIII.

R E C T O R
ACADEMIAE MAGNIFICE,

V I R
EXCELLENTISSIME EXPERIENTISSIME,
AMPLISSIME DOCTISSIME
PATRONE ATQVE PRAECEPTOR
MAXIMOPERE COLENDE!

Quo diutius et vehementius optauit, ut gratum er-
ga TE animum, quem vel doctrinae TVAE
praestantia et fides, vel beneficiorum in me
collatorum copia et magnitudo a me exigunt,
probare et TIBI significare possem, quantopere de bonis cu-
iuscunque generis, quae TIBI euenerint, laeter; tanto oppor-
tuniore loco hoc nunc a me fieri posse gaudeo, cum virtutis
TVAE splendor et doctrinae magnitudo viros ingenii praes-
tantia et virtutum integritate quam maxime claros commo-
uerint, ut fasces Academiae ad TE deferendas esse uno omnes
ore decernerent. Quamquam vero nec mea fert aetas, ut
quae mea qualiscunque habeat scriptiuncula, tanto Viro digna
existimentur; nec meum tam politum est ingenium, ut erudi-
te commentari et argumenti a me tractandi dignitatem ora-

tionis elegancia et sententiarum grauitate assequi possim, tamen
muneri deesse nolui et prouinciam, quam, mibi commilitonum
pietate demandatam, non ita administrare possum, vt exspe-
ctioni eorum fiat satis, vel officii necessitate commotus,
vel pietatis lege obstrictus libentissime a me suscipiendam esse
duxi. Cum enim omnium amorem, qui disciplinae TVAE
fidei se se committunt, vel orationis suavitate, vel praceptorum
utilitate, TIBI concilie; in multo magis pietas a me,
quem tantis tamque multis beneficiis ornasti, vt gratias iis di-
gnas nullo modo referre possim, postulat, vt quancunque oc-
casionem aude arripiam, qua pro TVA, cum nostra contum-
etissima, salute pia vota nuncupem. Summum numen TIBI
vires animi et corporis conseruet, vt hunc magistratum, cum
maximis laboribus coniunctum, ex voto geras, et nauis, cu-
ius clavis TVAE gubernationi commissus est, nullis procellis
agitata, absque ullo detrimento ad portum accedat. Nos omnes
ex animo optamus, vt per multos adhuc annos Academiae or-
namento, TVAE genti splendidissimae gaudio, et nobis so-
latio sis atque integra valetudine vtaris. Ceterum vt amorem,
quo nos hucusque amplexus es, erga nos continues, meque im-
primis TVO patrocinio commendatissimum esse, velis, commili-
tonum et meo nomine omni obseruantia rogo.

MAGNIFICI NOMINIS TVI

CULTOR PERPETVVS
IOANNES GOTTLÖB HAASIVS.





DE
IECORE FOETVS.

§. I.

Differt fabrica viscerum foetus ab illa viscerum hominis adulti ob sanguinis circulationem, quae alia est in foetu, alia in adulto.



qui fabricam partium C. H. accurata! dissectione disquirit, earumque usum ex physicis et anatomicis principiis diligenter perpendit; is necessario Auctoris naturae admirabitur sapientiam, qui C. H. eiusque viscera ita fabrefecit, ut sanguis, humor ille vniuersalis, ex quo reliqui ad unum omnes tanquam ex communi matre pariuntur, per totum corpus diffundi, ac in variis organis et partibus varii humores fecerni et excerni possent.¹⁾ Quamquam vero haec ita in omni homine deprehendimus, et diligens par-

A 3

tium

a) Vid. Magnif. LUDWIGII institut. physiol. cap. IV. §. 217. Lips. 1757. 8.



tium organa et viscera constituentia sejunctio in quois cadavere de hac re nos facit certiores: curiosissima tamen et admirata quam maxime digna oculis nostris sese offert corporis foetus tenelli et hominis materno ergastulo adhuc inclusi fabrica, cuius visceribus, cum sanguinis circulus propter pulmones ex denegato aëris accessu non expansibilem et otiosos et nexus ipsi cum matris corpore intercedentem, multum differat ab illo, qui in adultis celebretur ^{b)} ad sanguinem propellendum natura foramina et canales fixit, quorum illa post partum membrana occlusa obliterantur, ^{c)} hi collapsi ^{d)} ligamentorum munere funguntur. Multa quidem sunt, quae foetus sibi propria vindicet, (nam rariora sunt exempla, **vbi** aliquid ex iis, quae foeti tantum solemnia sunt, in adultis reperitur, et si egomet ipse foramen ouale in corde hominis adulti adhuc deprehenderim) et plurimorum eius viscerum singularis est mechanismus; nostri tamen consilii est, vnum illud viscus, iecur considerare, quod sanguinem maternum per venam umbilicalem in homine nato et adulto in ligamentum mutatam ^{e)} ad foetum aduenientem admittit, recipit, et ulteriore progressum dirigit. In quo considerando ita versabimur, ut pauca de hepate in genere commemoremus, in primis tamen et maxime historiam iecoris in foetu, eiusdemque usum physiologicum, quantum quidem nostra patitur ingenii imbecillitas, explicitemus.

§. II.

b) Vid: SALTZMANNI theses anatomic. de sanguinis in foetu circulo, Argentorat. 1714. §. VI.

c) Foramen ouale post partum clauditur valvulae Eustachii accretione, vid. TREW, in Dissertat. Epistol. de differentiis quibusdam inter hominem natum et nascendum intercedentibus. Norimb. 1736. p. 68.

d) Vid. ALBERT. V. HALLER prim. lineae phylol. Götting. 1751. 8. §. 854. *vena umbilicalis cito coalescit, ut sanguine desituta.*

e) Cel. WINSLOW, Exposition anatomique de la structure du corps humain, Amst. 1752. 8. 4 tom. p. 266. *Le ligament moyen, appellé mal à propos le ligament suspensoire du Foie, enferme dans sa duplicité un gros Cordon blanc, comme une espèce de ligament rond. Ce Cordon a été dans le fatus une veine nommée veine ombilicale.*

§. II.

Pauca de hepate in genere commemorantur.

Vastum illud in dextro hypochondrio sub membrana carnosâ fornicata, quae cavitatem abdominis ab illa thoracis diuidit, eiusque expansione ^{f)} tendinea collocatum viscus, bilis officina, organum chylificationis fere primarium, quod crasso et obtuso margine costis spuriis, margine acuto et tenui appendici $\xi\varphi\omega\iota\delta\epsilon\iota$ est contiguum, dicitur $\eta\pi\alpha\varphi$ a Graecis, ^{g)} a Latinis iecur. ^{h)} Haeret illud ita in ventris infimi cavitate, ut a superiori parte ligamenta a peritonaeo formata, ⁱ⁾ ad superficiem conuexam descendant, et viscus retineant, quod tanto facilius praestare possunt, quo magis ren et glandula suprarenalis lobum maiorem cum vesicula fellea, pylorus, intestinum ^{k)} dodecadactylon et colon a parte concava lobum minorem, potissimum digestionis tempore partim sustineant, partim superiora versus vi musculorum abdominalium urgeant. Diuidunt enim dissectores viscus illud ex vasis et contextu celluloso conflatum, in tres lobos, quorum unum vocant maiorem et dextrum, alterum minorem et sinistrum, tertium utrique interiectum minimum seu lobulum Spigelii, quem male a Spigelio dici monet Hallerus, et quem anonymous vocat. ^{l)} Respicerunt illi, qui ita hepar diuidunt, ad variam fissurarum directionem, quae superficiem concavam hic illicque sulcatam reddunt. ^{m)} Fissurarum enim alia et maxima est, quae a margine anteriori incipit, et totum viscus

f) HALLER. Opusc. Anatom. Gotting. 1751. §. 13.

g) ARISTOTEL. lib. I. de histor. animal. c. 18.

h) CICERO de natur. Deor lib. II. cap. 55. Permanet succus ad iecur per quasdam a medio intestino usque ad portas iecoris (sic enim appellant) ductas et directas vias, quae pertinent ad iecur eique adhaerent.

i) HALLER prim. Lin. phys. §. 669. p. 431.

k) VESALIUS de humani corporis fabrica, lib. V. p. 608. Basil. 1556. fol.

l) HALLER l. c. §. 672. 673. p. 434.

m) IDEM l. c. §. 671. p. 433. nempe sulci pluscali sunt, qui bepar in diuersas regiones, ne antiquis quidem ignotas, diuidunt.

❖ ❖ ❖

viscus quasi in duas partes diffindit, per quam in foetu vena umbilicalis ⁿ) in duplicatura peritonaei, a ligamento suspensorio cincta, ad πύλας descendit, alia transuersim collocata, quae simum ^o) venae portae recipit; denique lobuli anonymi margo sinistra cum lobo sinistro sulcum intercicit, in quo canalis venosus latet et margo dexter cum lobo dextro format sulcum, in quo venae cauae ascendit truncus. ^p) Praeter has fissuras superficies concava lobi maioris duas habet valleculas, quarum interior profundior vesiculam felleam recipit, exterior planior glandulae suprarenali et extremitati superiori renis dextri incumbit. Nerui, qui ad hepar tendunt, sunt ex plexu hepatico, ab intercostalis et parisi vagi ramis contexto, ^q) vasa lymphatica ex superficie utraque ad ductum thoracicum iter suum dirigunt. ^r)

§. III.

*Scriptores nonnulli ex veteribus et recentioribus commemorantur,
qui de hepatem tam adulti, quam foetus scripsere.*

Nobilissimum hoc ad bilem secernendam, et chylificationem praestandam quam maxime necessarium viscus antiquissimum anatomicorum ingenii iam notum fuit atque cognitum. Et enim si HIPPOCRATIS libros euoluimus, passim ab eo de hepatem disputatum esse legimus, vt de viscere, in quo bilis reperitur, et locum suum teneat. ^s) Longe plura tamen GALENS, ^t) qui post HIPPOCRATEM floruit, de eo commemorat, quo-

rum

n) Hanc fissuram vocat III. HALLER *fassam umbilicalis venae*, I. c. §. 672.

o) IDEM I. c.

p) VESAL. I. c. c. VII. p. 618.

q) Vid. R. VIEVSEN. Neurogr. vniu. Lugd. 1654. tab. 23.

r) Vasa lymphatica depicta habet RUYSCHIUS in hepatem equino.

s) HIPPOCR. de morbis, lib. IV. in edit. Foef. νῦν δὲ ἐρέω περὶ χολῆς, ὅκας τε οὐδότι πάσιν γένηται ἐν τῷ σώματι, οὐδὲ ὅκη ἔλκη τὸ χόνθιον ἀντέκη, τὸ ἐπὶ τοῦ ππατος; nunc vero de bile dicendum, quomodo et quam ob causam copiosior in homine gignatur et quomodo locus eius, qui est in hepatate, ipsam trahat.

t) In libr. de ysu partium.

rum alia sunt vera et naturae respondent, alia quae tum erat anatomie ratio, vbi circa bruta diffecanda maxime versabantur naturae indagatores, recentiorum emendarunt experimenta atque expoluerunt. Vtriusque vero dogmata correxit diligentissimus, qui tum viueret, Leonhardi Fuchsii discipulus, **VESALIVS**,^u) qui multa a priscis illis anatomicis ob humanorum cadauerum inopiam vel omissa, vel non satis accurate descripta, accuratius proposituit. Post hunc de hoc viscere scripserunt, **V. VIDIVS**,^v) **I. SYLVIUS**,^x) **G. FALLOPIVS**,^y) **A. SPIGELIVS**,^z) **H. FABRICIVS** ab **AQVAPENDENTE**,^a) et alii. Ex iis, qui non de hepate adultorum tantum, sed etiam de illo foetus egregie commentati sunt, laudantur **PH. VÉRHEYNIUS**,^b) **FR. GLISSONIUS**,^c) **B. BIANCHI**,^d) **M. MALPIGHIVS**,^e) **FR. RYYSCHIVS**,^f) et **B. MORGAGNIUS**,^g) et **I. BEN. WINSLOVIVS**.^h) Catalogum vero amplissimum cum veterum tum recentiorum, quorum scripta huic pertinent, legere licet apud

BIAN-

- u)** ANDRAE VESALII Bruxellensis de humani corporis fabrica libri VII. vbi multa de hepate, praecipue de situ et adhaesione eius, egregie disputat.
- v)** De anatome Corporis humani libr. VII. Francof. 1626. fol. MORGAGNIUS monet in adu. anat. epist. I. p. 22. hunc lobuli Spigelii iam fecisse mentionem sub nomine nucis parvulae. Verba VIDII haec sunt: *iungitur (iecur) cum septo transuerso per parvulam fibram, quasi nucem repletum, quem efficit primum intestinum cum ab inferiori ostio ventriculi incipiens reflectitur a parte dextra, versus sinistram*, lib. V. c. 8.
- x)** Opera medic. per RENATVM MOKAEVM. Geneu. 1635. fol.
- y)** Is docuit bilem ex hepate ad intestinum duodenum et inde ad vesiculam redire. **z)** De humani corporis fabrica lib. X. Venet. 1627. fol.
- a)** Opera anatomica et physiologica, Lips. 1687. fol.
- b)** Corporis humani anatomia, Lips. 1705. 8.
- c)** Anatome hepatis, Amst. 1665. 12. Ductum venosum accuratius descripsit.
- d)** Historia hepatica, Geneu. 1725. 4. 2. Vol.
- e)** In libro de hepate. Glandulosam hepatis structuram esse statuit; defendit eum Boerhauius contra Ruyshium, qui in unctionibus ostendit, acinos quos Malpighius pro glandulis folliculosis habuit, esse glomerulos vasorum.
- f)** Opera anatomico-medico-chirurgica, Amst. 1737. 3. Vol. 4. Fabricam hepatis, ut iam monitum est, ostendit esse vasculosam, et valuulas vasorum Lymphaticorum depinxit.
- g)** Aduersaria anatomica et epistolae, Patau. 1719. 4. multa de fossis, ligamentis et venis hepatis continent. **h)** Traité du vas-ventre. §. 253.

B

❖ ❖ ❖

BIANCHIVM in *historia hepatica.*ⁱ⁾ Tandem etiam legi merentur, quae habent de hepate foetus A L B. V. HALLER,^{k)} H. BERNHARDVS,^{l)} et I. SALTZMANNVS.^{m)} Tabulis hoc caput maxime illustrarunt I. VESLINGIVS,ⁿ⁾ IVL. CASSERIVS,^{o)} B. EVSTACHIVS,^{p)} FK. RVYSCHIVS,^{q)} et IAC. TREW.^{r)}

§. IV.

Ostenditur, iecur foetus praeter ea, quae illud cum iecore adulti communia habeat, etiam propria aliqua habere, et ex his primum vena vmbilicalis describitur.

Quanquam vero omnia, quae de hepate breuiter tantum a nobis sunt exposita, in iecur foetus cadunt, neque illa est pars in iecore adulti, qua careat illud in foetu: tamen nonnullae reperiuntur partes, quae alium praefstant usum in homine nato et adulto, alium in corpusculo tenelli foetus, quae peculiarem merentur attentionem, et in quibus disquirendis anatomicorum sollertissimorum non defuit industria. Praeterquam enim, quod integumentis communibus, musculis et peritonaeo remotis iecur magna sua mole protuberans, et ex proportione, quae est partium corporis tenelli foetus ad illas hominis adulti, longe maius deprehendamus,^{s)} quam in adulto; canalis aliquis, vena vmbilicalis dictus, ad superficiem concavam iecoris oblique ex vmbilico descendit. Colligit haec vena tenuissimos ramos ex placenta,^{t)} parte aliqua celluloso-

i) loc. cit. k) Opuscula anatomica et primae lineae physiol. quorum iam fecimus mentionem, lit. d. et f.

l) In Dissertatione sua inaugurali de eo quod differt circuitus sanguinis foetus ab illo hominis nati, Lugd. Bat. 1733. ventilata.

m) Theses anatomicae de sanguinis in foetu circulo, Argentor. 1714.

n) Syntagma anatomicum, Amst. 1666. 4.

o) Tabulae anatomicae 78. Venet. 1627. fol.

p) Tabulae anatomicae XI. Rom. 1714. fol.

q) loc. cit. r) loc. cit.

s) Vid. VERHEYNIUS I. c. Tr. II. c. XV. p. 126. *Iecur in foetu et recente natis maiorem abdominis partem occupat.*

t) De principio venae vmbilicalis, utrum ex hepate, an ex placenta illa oriatur, valde disputant, vid. SALTZMANN I. c. §. IX.

loso-vasculo-membranacea, ex membrana externa, quam chorion et interna, quam amnion vocant, tela cellulosa multisque vasis arteriosis et venosis interuenientibus, contexta et cum arteriis cognominibus,^{u)} eodem modo ex placenta ad umbilicum^{v)} tendit, quo perforato, ab arteriis separata, sub iecore intrat. Neque tamen illa leuiter tantum et laxe cum arteriis umbilicalibus coniuncta, progressum suum ad umbilicum usque absoluit, sed arteriae umbilicales aliquo modo contortae chordam hanc ex tribus hisce vasis firmante tela cellulosa coniunctis conflatam, et ab anatomicis nomine funiculi umbilicalis insignitam formantes, serpentino amplexu hanc venam concomitantur. Vasa haec firmissime inter se cohaerere, docet funiculi umbilicalis sectio transuersim facta. Quodsi enim quis hoc modo chordam dissecuerit, tribus septis membranaceis, et substantia cellulosa coniunctionem eorum firmatam esse deprehendet, nec unum ab altero poterit separare, nisi antea scalpello septa et contextum cellulosum sejunxerit.

§. V.

Vena umbilicalis a sinistra parte hepar ingreditur.

Vena umbilicalis, posteaquam cum arteriis eiusdem nominis contextu celuloso et septis membranaceis firmiter coniuncta umbilicum penetravit, seiuuncta nunc ab arteriis umbilicalibus, ad vesicam descendantibus, et ligamento suspensorio comprehensa, superiora versus sese flectit, et in sinistriorem hepatis partem per fissuram, quae lobum maiorem a minore quasi diuidit, ingreditur.

B 2

ditur.

u) Vid. ADR. SPIGEL. de formato foetu, c. IX. Nam ex surculis venarum et arteriarum per placentam dispersis in chorio membrana finit maiores rami, qui tandem in truncum coeunt in duas arterias exiguae sed unam magnam venam et amplam per totum umbilicum capreolorum in morem convoluti progrediviuntur una cum vracho ab allantoide orto, donec abdomen pertingant.

v) Vocabulum umbilicale equiuocum esse refert SYLVIUS, et modo funiculum umbilicalem, modo locum in integumentis significare, per quem intret funiculus. Ad hoc probandum allegat locum ex ARISTOTEL. lib. 9. de generatione animalium εἰς δὲ θυφαλος ἐν κέλυψι φλεβες, constat autem umbilicus in venis putamine contentis. Τὸν κέλυφος explicatur alio loco per κέλυφος δερματικὸν, inuulcerum membranosum, de formato foetu I. c.

❖ ❖ ❖

ditur. Ab hac sententia MORGAGNIO^{x)} et TREWIO,^{y)} IVL. CASSERIVS^{z)} in iconae decepsisse videtur, in quo progressus venae umbilicalis in fissuram magnam a dextro latere hepatis delineetur. Eodem modo de iconae VESLINGII^{a)} monet MORGAGNIUS^{b)} quod is veram venae insertionem non ostendat, contrarium statuit Cel. TREW.^{c)} Si iconem VESLINGII consideremus, certe non videmus, quid in eo naturae sit contrarium. Ex iis vero, qui accuratioes icones exhibuerunt, sunt B. EVSTACHIVS,^{d)} PH. VLRHEYNIUS,^{e)} L. HEISTERVS,^{f)} FR. GLISSONIUS,^{g)} FR. RYVYSCHIUS,^{h)} et I. TREW.ⁱ⁾ Iti enim omnes ingressum venae umbilicalis a latere sinistro partis concavae hepatis depinxerunt.

§. VI.

Vena umbilicalis propter fissurae magnae amplitudinem non comprimitur.

Vena ista propter varias corporis mutationes et inclinationes facilime comprimi, eiusdemque sanguini ex placenta aduenienti, facilime mora atque progressus impedimentum oriri posset, nisi natura in omnibus formandis visceribus quam maxime prouida, sulcum, seu fissuram, eandemque tam amplam fecisset, ut vena in ea libere haerere, et sub hepate facile prospere posset. Nam fissura magna, quam vena illa adit, non ampla tantum est et sulcum format, sed etiam interdum canalem refert, qui venam laxe includit, cuius rei disquirendae vel nuper nobis erat occasio. Etenim cum duo gemelli, qui vnum vix vixerant diem, in theatro anatomico cultro subiicerentur, in alterutro eorum non solum tantam hepatis molem obseruauimus, ut illud ventriculum fere totum et

splenem

x) Aduers. anat. I. p. 24. Ibi contra Casserium et Veslingium ita disputat: *contra subeuentem (vénam umbilicalem) a dextris pingunt, siue proprios siue alienos, Casserii impronis et Veslingii iconismos recadunt.*

y) I. c. p. 41. z) Ad Spigel. de hum. corp. fabrica lib. 8. tab. 8. f. 1.

a) I. c. cap. 4. tab. 4. f. 5. b) Vid. lit. X. c) I. c. d) I. c.

e) I. c. tab. 8. fig. 4. f) comp. anat. tab. 3. g) I. c. p. 160.

h) I. c. in dilucidatione valuularum vasorum lymphaticorum et lacteorum,

pag. 7.

i) loc. cit.

splenum ita comprehendenderet et tegeret, ut inferior tantum et minima eius pars conspiceretur; sed etiam lobus dexter cum sinistro ita erat concretus, ut vena umbilicalis non fulco comprehensa, sed canali inclusa usque ad sinum venae portae procederet. Annotauit hoc Cel. WINSLOW, qui dum de hepatis excavationibus agit, ita scribit: *Le premier (enfoncement de la Face concave ou inferieure du Foye) est en maniere de scissure, qui fait la separation des deux Lobes, en traversant la concavite du Foye depuis les eminences, dont je viens de parler, jusqu' au Bord anterieur, ou il se termine par une echancreure plus ou moins profonde. On l'appelle la scissure du Foye. Dans quelques sujets cette scissure est en partie comme un Tujau en-tier.^{k)}* Eundem usum habere videntur reliquae hepatis fissurae. Sanguis enim venae portae et venae cavae non tam libere fluere posset, et canalis venosus ex vena portae ad cavaam procedens, quam facilime comprimeretur, si natura partem hepatis inferiorem planam, nec variis sulcis excavatam finxisset, qui vasa e compressionis periculo defenderent et munirent. Recete itaque Cel. TREW iudicat, qui ita differit: *parem usum (i.e. ne venae comprimantur) illos quoque sulcos habere, qui sinum venae portarum et canalem venosum, itemque truncum venae cavae inferioris excipiunt, facile intelligitur.*^{l)}

§. VII.

Sententiae de insertione venae umbilicalis diversae sunt.

Sanguinem ex vena umbilicali venae portae alueo infundi, consentiunt omnes; utrum vero aliquam eius partem etiam venae cavae vena umbilicalis tradat, an omnem sanguinem in sinum venae portae adducat, id est, de quo dissecatores inter se dissident. Sunt enim nonnulli, qui afferant, sanguinem partim ad venam portae, partim ad venam cavaam immediate ex vena umbilicali deferri, ex quibus video esse VERHEYNIVM, qui ita: *vena umbilicalis ex hepatice egreditur; diciturque passim venae portae sobiles: verum partim in hac, partim in vena cava radicatur, ita ut non solum flatus, sed etiam stylus magnitudine mediocris e vena umbilicali facile ad cavaam adiagatur.*^{m)} Sed ductum venosum confudit cum vena umbilicali, ex qua facilime stylus aut aer in canalem venosum deferri possunt,

B. 3

sunt,

k.) Exposition anatomique de la structure du corps humain, Amstelod. 1752.
traité du bas ventre, §. 256. 1) I. c. p. 43.

m.) VERHEYN, anat. C. H. Tr. II. c. 31.

sunt, cum orificium ductus venosi ex opposito finis venae umbilicalis sit positum. Alii contra, inter quos referto L. HEISTERVMⁿ) et I. TREWIVM^o) venam umbilicalem per fissuram sine ullo ramo in hunc vel alterum hepatis lobum immisso, recta in sinistrom tantum partem sinus venae portae ingredi contendunt, et sententiam iconibus illustrant. Tertia tandem sententia eorum est, qui sanguinem ex vena umbilicali partim ad sinum venae portarum deferri, partim per ramos et fulco emissos et cum ramis magnis hepaticis communicantes, venae cauae ramis tradi afferunt. Huic sententiae fauere videtur III. HALLERVS, dum ita: *Soleat autem in foetu magna pars venarum hepatis ex vena umbilicali tanquam trunco suo oriri, quod video Cl. Gunzium, qui repugnauerat, nunc agnoscere.*^p)

§. VIII.

Sanguini ex vena umbilicali in sinum libera via patet.

Sanguinem ex vena umbilicali affluentem excipit sinus venae portae, vti hoc declaratur iconibus Cel. TREWI^q) quodque affirmat SALTZMANNVS.^r) Quodsi vero quis consideret, longam omnino viam et vndam sanguinis in venae portae sinu contenti esse superandas, antequam is introitum reperiat, aliquo modo de facili eius ingressu in sinum dubitare posset. Sed, si quis perpendat, venam umbilicalem ita intrinsecus esse fabrefactam, vt nulla valuula^s) in eius cum sinu coniunctione appareat, et ex hoc mechanismo liberam patere sanguini ex hoc canali in sinum viam, si porro tarditatem^t) consideret, qua sanguis in vena portae fluat: videbit, liquorem venae umbilicalis cum illo venae portae libere omnino et facilime posse commisceri et ad cauam deferri, quod secus esset, si sanguis venae portae tam rapido flumine vrgeretur, quam ille arteriarum. Valuulam, quam alii in vena umbilicali se obseruasse contendunt, nullam esse declarat Cel. TREW, qui quidem parvam eminentiam obseruauit, valuulae tamen non similem, et ne hanc quidem in omnibus inuenit. Ipsa denique diameter eorum vasorum,

ⁿ) loc. cit.

^o) loc. cit.

^p) Opufcula Anat. in descriptione foetus bicipitis not. 28. §. V. p. 165.

^q) I. c. tab. II. f. 22. 23. tab. IV. f. 55. 56. tab. V. f. 74.

^r) I. c. §. IX. truncus deinde arteriis utrinque stiپatus ad umbilicatum tendit, inde venae portae implantatur, in qua etiam desinat.

^s) IDEM I. c. valvulas in hac vena nullas obseruare potuimus etc.

^t) Magnis, LUDWIG. instit. physiol. Sect. IV. cap. I. §. 385.

rum, quae in vena vmbilicali longe maior est, quam in vena portae, docet, tanto minus resistentiae sanguini venae vmbilicalis ab illo venae portae esse exspectandum, quanto lumen venae portae illo vmbilicalis minus sit atque angustius. Diametrorum proportionem, quae sit venae vmbilicalis, venae portarum, et canalis venosi definiuit, et iconē illustrauit auctor saepius iam laudatus.^{u)}

§. IX.

Ductus venosus ut altera pars iecori foetus propria consideratur.

Posteaquam canalem, qui sanguinem ex hepate vterino collectum, foetui tradit, vt is propriis foetus visceribus elaboratus, ex suo penu corpusculo nutrimentum et incrementum subministreret, satis considerauimus, vt primam illam partem hepatis, quae in adulto non reperiatur, nostri est, vt vltiorem sanguinis progressum ex vena vmbilicali et sinu venae portae inuestigemus, et tubum illum, qui vltiorem eius viam dirigit, vt alteram partem, qua iecur foetus ab illo adulti sese distinguit, perpendamus. Scilicet natura, cum iecur tantam sanguinis vndam in sinu venae portae partim ex propriis venae portae ramis conuocatam, partim ex venae vmbilicali admissam contineret, peculiarem ei ductum fecit, qui recta via magnam sanguinis colluuiem ad venam cauam subduceret. Ductus ille, quem ductum GLISSONII^{v)} seu canalem venosum dicunt, in fissura latet, quam inter marginem sinistrum lobuli SPIGELII, et lobum minorem insculptam esse ostendimus, et ex sinu venae portae fere ex aduerso insertionis venae vmbilicalis, iuxta ramos, quos ex hepatis parenchymate vena caua colligit, progressus, ad cauam dirigitur.^{x)} Totus eadem cum vena gaudet stratura^{y)} et duas ostendit valuulas^{z)} quarum una eo loco, vbi ex cavitate oblonga sinus venae portae in foetu magis quam in adulto conspicua, egreditur, altera ad insertionem in venam cauam posita deprehenditur, quae sanguinem, introitum in venam cauam tantem, retinent, ne a sanguine, venae cauae repulsus, illum a tergo ex sinu sequentem reprimere atque repellere possit.

§. X.

u) Cel. TREW I. c. tab. I. f. 7. a. tab. II. f. 22. 23. tab. IV. f. 55. 56. 69.

v) I. c. cap. 33. vbi fusius de hoc ductu agit.


x) V. HEIST. Comp. anat. tab. III. f. 12. y) V. SALTZMANN. I. c. §. XIII.

z) Valuulas has iconibus illustratas videre licet apud Cel. TREWIVM I. c.

Tab. I. f. 1. 2. 18.

Vsus venaæ umbilicalis et ductus venosus breuiter describitur.

Quemadmodum vero omnia, quae accurate et prudenter instituta corporis humani dissectio nobis ob oculos ponit, manifeste loquuntur, nonnisi sapientissimum opificem nostram corporis machinam condidisse, et nulla pars, et si vera eiusdem structura aciem oculi humani adhuc eludat, fabrefacta nutriatur, quin ad incrementum et sanitatem nostri microcosmi aliquid conferat: ita etiam hepatis viscus quam maximis nostri corporis commodis inseruire, certissima res est. Relinquamus veterum sententiam, qui omnia ab hepate exspectantes, optima quaeque ex alimentorum digestorum apparatu colligi, exsugi, per maeandros angustissimos ad hepar duci, cum sanguine ibi confundi et veram sanguificationem, pulmonibus magis tribuendam, ab hoc viscere peragi, uno omnes ore clamitabant; sed consideremus tantum, quanta exinde nobis oriatur utilitas, quod hepar respirationis mechanismo ventriculum in digestione iuvet et bilem, humorem, sine quo nulla fieri potest in nostro corpore digestio, suppeditet. Praeter hunc vero usum natura in fabrica iecoris in foetu aliud adhuc praestare voluit. Quapropter cum multa iam superius de usu partium descriptorum, a nobis interspersa sint, breuiter tantum asserimus, hepar foetus propterea a natura tam peculiari modo esse fabrefactum, ut communicatio sanguinis materni cum foetu praestari, et circulatio in corpusculo perfici posset. Veria umbilicalis sanguinem ex placenta ad hepar adducit, et ductus venosus ulteriorem eius progressum dirigit; uterque canalis post partum in ligamentum mutatur. Haec sunt, quae breuiter de foetus iecore exponere voluimus, quae quidem quamquam ita scripta sinr, vt quis a tirone, in arte minus exercitato ea exspectare potest, tamen, quae diximus, ea ex optimis scriptoribus huius generis partim concessimus, partim, cum ab Optimis Praeceptoribus nobis in anatome, nostris deliciis, nostram manum exercendi facta sit facultas, et nos circa rimanda defunctorum cadavera saepissime versemur, autopsia confirmata deprehendimus. Quod si ulterius Praeceptores doctissimi, Patroni pietate summa a nobis colendi, qui nos, huic studiorum generi adsuertos, in hoc tramite summa cum benevolentia atque doctrina duxerunt, nobis permiserint, ut ingenium magis in hac disciplina expoliamus et manum in dissecandis cadaveribus exercitatiorem reddamus; fortasse meliora et lectu digniora proferre poterimus.



RICA

V
D

22

DE
IE CORE FOETVS
DISSERIT

ET
VIRO MAGNIFICO,
EXCELLENTISSIMO EXPERIENTISSIMO
AMPLISSIMO DOCTISSIMO
IOANNI CHRISTOPHORO

PO

PHILOSOPH. ET

PROFESS. PVBL. C

COLLEGII B. M.

N. C. S.

PATRON

MAT

FASCIBVS

PRI

COLLEGII EX

SVB IPSI

IOANNES

EX OF

